

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

dire liceat. Significabis item, quomodo inter Decanos convenerit, quod ad distributionem horarū in ipsa promotione attinet & quomodo quælibet fieri debeant, ut & ego rectius de mea oratione deliberare possim. Quod & antihæses orthodoxi consensus ad Aug. attinet, propter DEUM rogo, ne manum de tabula, antequam absolveris, ut in his nundinis prodeat. Salutem adscribo M. Hadungo. Bene in Domino vale, & pro me ora. 4. Septemb. in Lauvvacensi eremo 82.

R. d. t.

Deditiss.

Timotheus Kirchnerus.

Si R. d. t. frater dilectiss. Dn. D. Erasmus ad te veniet, quaeso eum meis verbis honorifice salutare digneris, respondebo ei, quam primum per negotia licuerit. Apud Magn. Rectorem & Collegas me submisso excusabis.



LII.

*Gratiam & pacem à DEO patre, & filio ejus, Domino nostro JESU Christo, in communicatione Spiritus S. Amen.*

**R**everendi & clarissimi viri. Necessitate cogente à proceribus Styriæ & consociatarum provinciarum huc ad comitia missus sum, ut protestantium ordinum & civitatum Aug. Confess. Theologis, aliisque legatis doctrinam & statum Ecclesiarum suarum exponerem, quo sic aditus sibi fieret ad vestras Ecclesias & earum tutores, si quando posthac consilio & auxilio eorum opus foret. Quia verò serius veni, nec præter unum & alterum ex peregrinis Theologis hic convenire potui, illis tantum, qui Augustanam Ecclesiam docent, ea, quæ in mandatis habui, fideliter exposui, obtestatus, ut mihi hujus præstitæ fidei testes esse dignarentur. Placuit autem postea & Legatis provinciarum politicis & aliis præclaris, qui in consilium adhibiti sunt, viris, ut summa orationis ad Theologos Augustanæ civitatis habitæ in literas relata, ad illustrissimum quorundam principum consistoria Theologorumque collegia per legatos eorum, qui in comitiis versantur, mitteretur, quò sic facilius doctrinæ & Confessionis nostræ sinceritas universali Ecclesiæ innotesceret, nosque vestris & aliorum piorum precibus ad DEUM & aliis beneficiis digni cognosceremur. Cum igitur vestrum collegium inprimis in hoc consilio nominatum esset, Illustrissimi principis vestri legatis mihi injuncta exposui, eisque paulò ante factum scriptum, cum exem-

exemplo subscriptionu m; quibus concordiae formulam, publicè notam, Theologi nostri comprobant, ad vos perferendum & principi vestro declarandum tradidi, qui etiam se petita in effectum deducturos esse, sanctè promiserunt. Maximopere igitur R. D. V. oro & per Christum obtestor, ut lectis & cognitis omnibus, nos pro fratribus & conforibus agnoscat, & operam detis, quò doctrina & fors Ecclesiarum nostrarum cum illustriss. Principi vestro tum omnibus aliis veræ Ecclesiæ civibus & membris notæ fiant, & mihi quoque maturè innotescat, quo die & mense scripta mea cum hac epistola acceperitis, & quem apud vestrates eventum hoc nostrum institutum habuerit. Pro his officiis vestris & Dominorum meorum & meam, quæ debetur, gratitudinem sanctè vobis promitto, quam & DEUS copiosissima benedictione vobis vestrisq; ecclesiis accumulabit. In hoc bene valeant Reverendæ Dignitates vestræ per Jesum Christum, DOMINUM & Salvatorem nostrum, Amen. Data Augustæ, 10. Septembris, An. 1782.

R. D. V.

*studiofissimè colens*

Jeremias Homberger. Fritislarientis,  
D. Provincialium Styriæ, qui Augustanæ  
Confess. sunt, Antistes.

*Post scripta.*

Reverendi & clarissimi viri, in orationis meæ summa quorundam Scriptorum mentio fit, quæ vobis mittere nequivimus. Sunt enim bene longa scripta, quæ hic tantum ostendere & perlegenda tradere volumus, sicut & Augustanæ civitatis Theologis & vestris Legatis ea ostendimus. Ut autem toties descripta curaremus, non fuit possibile. Missa tamen sunt Francofurtum, ut typis evulganda committantur. Ubi edita fuerint, haud dubiè etiam in vestras manus pervenient. Hoc vos ignorare nolui, ne forte admiraremini, quòd nominata scripta non mitterentur. Iterum valete.

*Inscriptio.*

Reverendis, nobilibus, clarissimis & doctissimis viris ac Dominis, D. Doctoribus  
& Magistris ad Theologicam Facultatem & Ecclesiasticum Senatuum ac Con-  
sistorium sub illustrissimo Ducatu & Electoratu Palatino pertinentibus.  
Dominis & patronis meis demissa observantia colendis.

LIII.

*Salutem in Servatore Christo, Reverende & clarissime*

*D. Doctor, Domine & frater plurimum colende.*

Fateor equidem, destitui me idonea excusatione, quòd ad aliquot tuas ha-  
ctenus non respondi, maximè cum in illis res meæ meorumque agantur.  
Dicam.